



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**De Judiciis Ecclesiasticis Ad Germaniæ Catholicæ
Principia Et Usum**

De iudiciis civilibus

Zech, Franz Xaver

Ingolstadii [u.a.], 1765

Titulus XXXIII. De Litis Pendentia. Si constat de utriusque Partis intentione,
probare uterque debet, quod asserit: unde

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68163](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68163)

*Causa
Spolii non
semper
est infamis-*

ex vanis argumentis negatur 54.)
§. 263. Demum id advertitur, ex
Spolio per se non importari infamiam,
sed ex causa ejus; cum non solum do-
lus malus, sed etiam error aut culpa
spolio ansam dare possit 55). Unde po-
test tale remedium etiam institui con-
tra eos, quibus debetur aliqua reve-
rentia, uti a Vasallo contra Domi-
num directum Feudi: nihilominus
contra tales personas omitti deberet
vox *Spoliationis*, ita ut potius videatur
institui Actio in factum.

TITULUS XXIII.
DE LITIS PENDENTIA, SE-
QUESTRATIONE, ARRE-
STATIONE ET RE-
PRESALIIS.

*Conf. Lib. II. Decretal. Tit. 16. § 17. In
Sext. Tit. 8. In Clem. Tit. 5. § 6.*

§. 264.

*Nihil in-
novan-
dum*

Sicut Spoliatio, de qua superiori Ti-
tulo dictum, summe odiosa est in
Jure, ita etiam innovationes lite pen-
dente summopere improbantur, ut
ordini judiciali debitus locus relinqua-
tur:

54.) Vid. D. Baro DE CRAMER Wezlaris-
sche Nebenstunden. part. 1. c. 1.

55.) §. 1. Inst. De vi bon. rapt. De Ro

De Litis pendentia. &c. 311

tur: unde Rubrica Juris Canonici: *Ut lite pendente nihil innovetur.*

§. 265. *Lis Pendens* dicitur, quando *Lite Pendente*, super aliqua re controversia deducta est in Judicium, usque ad finem Judicii. Hæc litis pendentia inducitur per citationem legitime intimatam reo: actor autem absque tali intimatione jam novit litis pendentiam, modo sciat emanasse decretum citationis a Judice. Hoc modo res vel jus, de quo agitur, fit *litigiosum*, seu incipit laborare *vitio litigiosi*. Pendere autem lis tamdiu dicitur, donec controversia cesset per sententiam definitivam, vel interlocutoriam definitivæ æquivalentem, quæ transit in rem judicatam: vel per instantiam lapsu temporis peremptam: vel per transactionem litigantium: vel per voluntariam cessionem actoris expressam aut tacitam.

§. 266. Effectus Litis pendentia est, ut de re vel actione litigiosa nihil innovari in præjudicium alterius partis litigantis, nec priori possessori fructus & possessionis emolumenta eripi possint.

U 4

sint.

mediis Restitutoriis late agit MENCHIUS de Possessione recuperanda. NAVARRUS Tom. 2. in Cap. accepta. De

sint. Hinc pendente lite de Jure præ-
 sentandi ad Beneficium Ecclesiasticum,
 ille, qui est in quasi possessione hujus
 juris, interim valide & licite præsen-
 tat, etiam si postea in Petitorio senten-
 tia contra ipsum pronuntietur. Sic eti-
 am regulariter alienari non potest res,
 de cujus dominio litigatur; alienari
 tamen potest, si agatur solummodo de
 aliquo jure reali vel personali illius rei:
 etiam non prohibetur alienatio neces-
 saria, vel mortis causa. Si autem res
 litigiosa in causam piam alienetur, de-
 beret alienans duplum alteri repende-
 re, ne liceat eo modo duriores adver-
 sarii conditionem facere: duplum au-
 tem adversario præstandum esset, ut id
 veluti solatium habeat, pro eo, quod
 potentiori adversario traditus est (56.).
 Si duo de Beneficio Ecclesiastico liti-
 gant, uno cedente, vel forte deceden-
 te, non potest nova electio vel præ-
 sentatio institui, nec superstes potest
 illud resignare aut permutare, donec deci-

Restit. Spoliat. Item Autores inserti Re-
 petitionum Juris Canonici Volumini ter-
 tio in librum 2dum. Decretal. ut PAU-
 LUS DE ELEAZARIIS, PETRUS CRAS-
 SUS &c.

56.) L. 3. ff. de Litigiosis.

decisum fuerit, ad illud huic supersti-
ti jus competiisse (57.)).

§. 267. Non obstante regula de ni- *Quæ re-*
hil innovando lite pendente, posse ta- *gula limi-*
men ob periculum moræ interim ab- *atur.*

que præjudicio causæ aliquas ordina-
tiones provisorias fieri, alibi dictum est
(58.)). Item lis alibi pendens adeo non
impedit concursum creditorum, ut po-
tius talis concursus *universalis* lites ali-
bi pendentes ad forum suum trahat.
Leges enim *Causas connexas conjun-*
ctim in uno *Judicio tractari jubent* (59.)):
adeoque sufficit sola *Edictalis Citatio*
ad omnes Creditores directæ: hæc o-
mnes confestim processus alios sistit, ef-
ficatque, ut quidquid postea in aliis ju-
diciis actum fuit, nullum sit. Particu-
laris concursus hunc effectum non ha-
bet, etsi a maxima Creditorum parte
motus sit: hic enim *litis pendentiam*

U 5 non

57.) C. I. & 2. ut lit. pend. in 6.

58.) Supra in Tit. XX. de *Causa possess.*
& propr. §. 236.

59.) L. II. §. I. ff. de *Jurisdic. L. 8.*
§. I. de *liberali causa*. Hanc materiam
late examinat FRANC. SALGADO *La-*
byrinth. Creditor. part. 1. Cap. 4. per
tot.

non interrumpit 60.). Alius insuper casus est, ubi exceptio litis pendentis objici non potest: creditori plures Correos, aut confidejussores habenti concedunt Leges 61.) variandi beneficium, ut electo ex his uno, actio tamen ei contra reliquos integra maneat: dubium autem est, utrum Titio creditori, deserta quam contra Cajum fidejssorem, forte solvendo imparem, pro rata instituit, actione, alterum confidejssorem in solidum, consequenter etiam pro rata Caji convenire, an vero hoc casu exceptio litis pendentis ipsi objici queat. *Æquius videtur, saluum manere Titio jus conveniendi alterum confidejssorem, cum Imperator 62.) velit, ut ex unius electione præjudicium Creditori adversus alium non fiat, sed remaneant ipsi actiones integræ 63.).*

Quando locum habeat Sequestratio?

§. 268. Nonnunquam res litigiosa vel fructus ejus pendente lite sequestrantur, seu deponuntur apud tertium, quod fit consensu partium, vel auctori-

60.) LEYSERUS Vol. 7. specim. 478. med. 8.

61.) L. 23. & 28. C. de Fidejssor.

62.) In L. 28. C. ibid.

63.) SCHILTERUS Exercit. ad Pand. 48.

toritate Judicis. Judicialis quidem sequestratio regulariter est prohibita, quia possessor non debet privari commodo possessionis, nec Judicium est inchoandum ab executione. Licita autem est ob justam causam, si nempe merito timetur, ne Reus cum re litigiosa mobili fugiat, aut eam dilapidet, vel dissipet fructus, qui possent servari, non autem possent postea resarciri: aut si ob possessionem dubiam periculum sit, ne veniatur ad arma. Si autem pendente Appellatione sequestrantur fructus talis possessoris, cujus bona immobilia sunt in territorio Judicis, censeri id debet attentatum, expensis attentantis mox revocandum; cum dissipari non censeantur fructus, quorum resarcitio est in manu Judicis, præsertim, quia per talem sequestrationem plerumque corrumpuntur fructus, nullo partium emolumento.

§. 269. Ubi Sequestrationi locus *Judex* est, posset quidem ipse Judex esse se- *ipse non* quester in causa, in qua judicatu- *deberet*
rus

§. 17. 26. STRYCKIUS de Cautel. contract. sect. 2. c. 5. §. 16. BRUNNEMAN ad Leg. 23. & 28. C. de Fidejuss. SALGADO Labyr. Cred. part. 1. c. 17. n. 10. seqq. qui Autores non sunt concordēs.

Seque-
strum a-
gere.

rus est 64.), Monet tamen TIRAQUELLUS
65.), honestius esse, ut Judex eam pro-
vinciam non assumat, ne quid inde su-
spicionis inopiæ, vel quæstus, vel etiam
protelandæ litis suboriat. Hæ suspi-
ciones locum habere nonnunquam pos-
sunt apud inferioris subsellii Judices.
Supremi autem & potentiores Judices
in suspensionem possent incidere de ani-
mo occupandi & in suam potestatem
redigendi rem sequestratam, si de re
magni momenti agatur. Ejusmodi su-
spicio magnos motus in Germania pri-
ori seculo excitavit, dum Electores
Brandenburgicus & Palatinus, imo om-
nes Protestantes timebant, ne Augu-
stissimus Imperator sequestri titulo
occupare tentaret Ducatus Juliacen-
sem & Clivensem, de quibus plures Im-
perii Principes disceptabant 66.). Po-
test Judex alium sequestrum nomina-
re; sed optime faciet, si ab utraque
parte eum eligi curet. Cogi tamen si-
ne

64.) L. II. §. I. ff. ad Exhibend. ibi: *Si apud
officium fuerit depositus.* Item C. II. de Ar-
bitr. ubi in fine mentio fit obsidum oc-
casione compromissi Arbitro datorum.

65.) De Retract. Convent. §. 4. Gloss. 7.
n. 2.

66.) Occasionem suspensionis sumserunt

ne gravi causa invitus non potest, ut hoc munus assumat; quia sequester obligatur ex quasi contractu, & tenetur actione præscriptis verbis: invitus autem nemo cogitur contrahere vel quasi, nisi justa causa id exigat.

§. 270. Singularem Constitutionem habemus in Jure Canonico 67.) *Constitutio Clementina de sequestrando Beneficio Ecclesiastico, ejusque fructibus, quando contra Possessorem prima sententia, quæ definitiva sit, in Possessorio vel Peritorio promulgatur, etiamsi Dignitas vel Personatus existat & curam animarum habeat. Sequestratio autem fieri deberet per loci Ordinarium apud aliquam personam fide & facultatibus idoneam, quæ id, quod de fructibus Beneficii, debitis ejusdem supportatis*

ex D. LEVINI AB ULM Vice - Cancellarii Imperii Anno 1609. scripto concepta, & in Consilio Intimo Cæsaris proposita sententia, cujus synopsis latine refert PUFFENDORFIUS Rer. Brandenburg. lib. 4. §. 10. & ex eo LUNIG Europæische Staats-Consilia tom. 1. fol. 1532. seq. Integrum autem illud consilium Domini ab Ulm recenset idem LUNIG inter selecta Scripta illustria Cap. 1. Art. 2. fol. 14. seqq.

67.) Clement. 1. De sequestr. poss. & fruct.

tis oneribus superesse contigerit, illi restituat, qui finalem in causa victoriam obtinebit. Decernit Pontifex, ut excommunicationem ipso facto incurrat, qui sequestrationem impedire, vel fructus sequestratos occupare præsumperit; & quidem si hic de litigantibus fuerit, a jure fors ipsi in Beneficio competente se noverit hoc ipso cecidisse, Decreta sequestratione, non potest prior possessor amplius se intromittere non solum in fructibus, sed nec etiam in servitio Ecclesiæ celebrando Missas, vel Verbum Dei prædicando; sequester autem vel a litigantibus electus, vel a iudice nominatus, potest exercere omnia jura Beneficio seu Dignitati annexa, scilicet emergente casu aliquem præsentare, eligere, Vasallum vel Emphyteutam investire: item interim fructus vendere, & alia facere, quæ diligens paterfamilias in re propria faceret. Sequestratio hæc ex allegata Clementina competit Episcopo, etiamsi sententia contra Possessorem Romæ lata sit: estque hic unus ex casibus, quibus inferior intromittere se potest in causa ad Romanam Curiam devoluta. Visa autem fuit hæc sequestratio adeo necessaria, ut INNOCENTIUS VI. Pontifex in
de,

defectu Ordinariorum, hanc eandem facultatem Auditoribus Sacri Palatii in causis coram eis vertentibus concesserit, prout continetur in Bulla ejusdem Pontificis de facultatibus Auditorum Rotæ, quam vulgo Bullam *Innocentianam* vocant. Unde Auditores Rotæ eidem citationi, qua Possessorem ad sententiam audiendam citari faciunt, addere etiam solent citationem ad videndum decerni sequestrum. Si tamen Auditor Palatii non plene de omnibus disposuerit, illæsa remanet facultas Ordinarii ad providendum in omnibus, quæ pertinent ad obsequium sequestratæ Ecclesiæ, ex sua ordinaria facultate, quæ ex dispositione dictæ Clementinæ non videtur de novo concessa, sed potius excitata. Solos Pontifex excipit Possessores, qui per triennium in pacifica possessione fuerint, nisi eorum ingressus fuerit simoniacus, vel aliunde vitiosus 68.).

§. 271. Sequestrationi affine est *Arrestum* *Arrestum*, latine Manuum injectio, quo *sine gravi* nomine intelligitur detentio vel per- *causa non* sonæ, vel rei alicujus ex causa securi- *imponi-* tatis, donec negotium fuerit compo- *tur:*
fi-

68.) Quando triennalis Possessor Beneficia



fitum. Fieri solet vel mutuo consensu partium, vel publica autoritate Judicis, qui detentionem imperat vel ad instantiam partis, vel ex officio nobili ob bonum publicum. Sicut sequestratio rem litigiosam, ita Arrestatio supponit prætensionem subditi antelitem cœptam, præcipue contra extraneos. Sine gravi causa, præcipitanter ad cujuslibet petitionem, non debet fieri: & iterum relaxatur si Arrestatus dederit cautionem idoneam de judicio sisti & judicatum solvi. Si vero appareat, Arrestum ob causam injustam esse impostum, Arrestatus non solum super restitutione damnorum & expensarum, sed etiam super injuriis agere potest. Qui
fran-

condemnari possit, ostendit VESTRIUS Pract. lib. 7. c. 2. n. 8. Varias extensiones, & limitationes Constitutionis Clementinæ videre licet apud eundem VESTRIUM loc. cit. VINCENTIUM CARO CIUM tr. de sequestro. part. 2. quæst. 1. Præter citatos Autores, de sequestratione scribunt JOAN. CORASIVS Miscellan. lib. 3. c. 2. ANGELUS DE PERUSIO, JACOBUS DE ARENA, & FRANCISCUS CURTIUS, quorum lucubrationes continentur in tomo tertio part. 2. Tractatum Juris.

frangit Arrestum legitime impositum, vel aufugiendo, vel bona arrestata dimovendo, arbitrarie punitur. 68.*).

§. 272. Cum autem iniqua Arresta *De eo sin-* facile turbare possint Pacem publicam, *gularis* peculiaris Constitutio super iisdem in *Constitu-* Imperio promulgata est (69.), fundans *tio Impe-* Jurisdictionem Camerae Imperialis, ex *rit:* qua Mandata de relaxando S. C. emittuntur, quando membra Imperii immediata alios immediatos illicito Arresto sine debita causae cognitione gravant. Ut tale Mandatum vi Constitutionis peti possit, Actor & Reus debent esse immediati: actor erit vel ipse arrestatus, vel persona ei subiecta: Reus non is, qui arrestum a Magistratu petiit, sed Magistratus immediatus, qui Arrestum ad requisitionem precipitanter imposuit: causa autem arrestandi potest esse ratione contractus, conventionis, pacti, transactionis, debiti confessati, rei iudicatae, consuetudinis,

X

68.*) Materiam de Arrestis singulari tractatu illustrat DAVID MEVIUS.

69.) Recess. Imp. Anno 1570. §. 84. Conc. nov. ord. Cam. p. 2. tit. 24.

De Judiciis.

rudinis, privilegii, defraudati telonii, vectigalis, juris detractus contra emigrantes subditos &c. Si Mandato paritio præstetur, & Arrestum relaxetur, causa principalis, ob quam Arrestum fuerat impositum, ad Judicem competentem remittitur 70.)

Uti etiam de Represaliis, & de abusu Bullæ Brabantinæ. §. 273. Non multum ab his differunt *Represalia*, quando unus pro alio, & res unius pro re alterius apprehenditur 71.) Habent speciem justitæ belli, proin videntur licitæ ex causa denegatæ Justitiæ. Nihilominus regulariter sunt illicitæ, *tanquam graves Legibus,*

70.) Singularem effectum habet Arrestum in Bavaria intuitu exterorum: nam si horum bona vel etiam Capitalia in Bavaria sita, ad petitionem partis arresto subjiciuntur, eo ipso etiam causa principalis, quæ occasionem petendi arrestum dedit, Forum sortitur in hoc ipso loco Arresti. Vid. Codex Judic. Bavar. Cap. I. §. 8. ibique Annotationes. Plura tradit ANDR. GAIL. tract. de Arrestis Imperii. PETRUS PECKIUS de Jure sistendi. BERLICH. Concl. practic. p. I. concl. 74. seqq. JACOB. BLUMEN Proc. Camer. tit. 33. LUDOLF de Jur. Camer. Sect. I. §. 9.

71.) Mentio de Represaliis facta est de Jur. Rer. Eccl. Sect. IV. tit. 15. §. 39.

bus, & equitati naturali contraria 72.); nemo enim alterius odio pręgravari debet. Unde post erecta summa Tribu- nalia, ad quę remittuntur etiam Con- troversię Principum, Represalię tan- quam inimicę Paci Publicę per Consti- tutiones Imperii gravissime prohiben- tur, uti etiam abusus Bullę Braban- tinę, ex qua Represalię nascuntur 73.): possunt tamen Status Imperii jura sua contra gravamen ab aliis sibi illatum propria autoritate defende- re 74.). Summi autem Principes possunt Represaliis uti eodem jure, quo jure possunt bellum inferre ad- vindicandas suas, aut subditorum suorum injurias. Prohibitio autem Represaliarum non est extenden-
X 2 da

72.) C. un. de injur. in 6.

73.) Instrum. Pac. Osnabrug. Art. 9. §. 1. Capitulat. FRANCISCI I. Art. 16. §. 5. & Art. 27. §. 4. JOSEPHI II. ibid. An in causis Religionem spectantibus, liceat Represaliis uti, dubitant aliqui. Pro- testantibus id concedit LEYSERUS spec. 90. med. 5. Catholicis id negat BÖHME- RUS Consult. tom. 1. Resp. 7. n. 15. Instrumentum Pacis Osnabrug. Art. V. §. 1. constituit, ut quod uni parti justum est, alteri quoque sit justum, violentia om- ni & via facti perpetuo prohibita.

74.) Cit. Capitul. Art. 8. §. 16.

da ad Retorsiones. Per Represalias enim homines innocentes, eorumque bona ob delictum ab altero commissum occupantur & detinentur: Retorsiones autem fiunt, quando jus, quo quis apud se erga extraneos utitur, erga ipsum in aliis terris exercetur, quod in æquitate naturali, Legibus Civilibus 75.), & Jure Canonico 76.) fundatum est.

TITULUS XXIV. DE PROBATIONIBUS.

*Conf. Decretal. Lib. II. tit. 19. Clement.
tit. 7.*

§. 274.

*Judici
fides fieri
debet per
Probationes:*

ACTOREM & REUM in foro contentioso jam eo perduximus, ut eorum, quæ afferuntur, Probationes afferri debeant. Judici enim patere debet assertionum veritas per Probationem, quo nomine intelligitur *Rei dubiæ seu controversæ per legitima argumenta Judici factæ ostensio*. Argumentum dicitur probabile

75.) L. r. ff. quod quisque juris in alteram statuerit, ut ipse eodem jure utatur.
76.) C. 6. De Constitut.